

pretes mittendo, qui monerent ut cum Maximiliano pacem facerent potius, quam quæ illius essent, ei præripe-re contenderent; se in urbem intulit, & oppidum antea direptum, & omni exutum dignitate, radicitus depopula-tus, si quid erat reliqui, abstulit: atque ut Galli domum reverterentur, secumque prædam, quam ingentem capto oppido fecerant, asportarent, potestatem eis fecit. Veneti capiendi oppidi spe deposita, tormenta, quibus muros urbis verberabant, abstulerunt. Et jam Joannes Medices Cardi-nalis, & Julianus ejus frater, de successu rerum suarum li-teras ad Senatum dederant, seque & fortunas suas omnes reipublicæ obtulerant. itaque respublica quæ amico sem-per animo in illos fuerat, in civitatem & nobilitatem eos & Laurentium eorum fratris filium more majorum intulit, missis ad eos Florentiam de ea re literis. Pauloque post & Prosper Columna suæ factionis princeps, cum equita-tu & peditatu ad proregem se se contulit: & Senatus cives quatuor, qui Cremæ portas, quoad opus esset, cu-stodirent: deinde municipiis quatuor in vicinis Cremæ lo-cis, quæ ad rempublicam redierant, ejus nomine præf-sent, creavit. Tum arcem Bergomatium extra urbem summo in monte positam, quam *Capellam* appellabant, ejus præfectus homo *Gallus* reipublicæ internunciis tradi-dit. Senatus cum intellexisset, numos qui in bella insu-mebantur, non omnino recte administrari, cives duos ma-gnæ auctoritatis viros, Hieronymum Quirinum, Petrum Capellum, qui eis præfessent, creavit: deinde Petrum Pascalicum, qui legatum Genuæ ageret, renunciavit. Erat autem eo in oppido Dux & princeps recentior civitatis Janes Fregosius amantissimus reipublicæ.

*Arx Bergo-menfis Ve-netis dedi-tur.*

Post hæc Matthæus Curcensium Episcopus Maximilia-ni interpres Romam venit, atque a Julio suam in domum in Vaticano est exceptus. Pauloque post Maximiliani His-paniæque Regis & reipublicæ legatis adhibitis, ejusmodi se fœdus velle Julius facere pronunciavit: *Ut Verona Vi-cetiaque Maximiliano cederent. Pro Patavio autem & Tauriso, quæ jam Veneti obtinebant, ut ea oppida reti-nere*

*Fœdus Ju-lium inter- & Maximi-lianum.*